



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die trigesima Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

co pio Cluésis Comitis filio, decimo quinto epif-  
copo Traiectensi: qui Othonis primi Consiliarius  
fuit, & filij eius præceptor. E regione enim reli-  
quiarum beatæ Agnetis superest dicti præfulis E-  
pitaphium:

*Traiectina feris Vrbs Danis versa latebat,  
Baldricus priscum reddidit iste decus.*

*Auspicio cuius iam Pontius, Agna, Benignus,  
Conseruant Urbem, fulget & ecclesia.*

### Die trigesima Iunij.

#### 1<sup>o</sup>. De sancta Adilia, virgine Orpiensi.

*Ex historia propria ecclesia, & narratione domini Petri  
Longolij, Pastoris ibidem.*

**O**Rpij, sanctæ ADILIAE, virginis sanctimo-  
nialis: quæ festum habet nouem lectionum,  
postridie sanctorum Petri & Pauli, & in dicti lo-  
ci monte, temporibus Childerici, multis sancti-  
monialibus præfuit. Sed cum esset hospitalitate  
præcipua, videretque pauciores propter montis  
molestias eò cōuenire, in inferiori loco ædificauit  
ecclesiam sancti Martini, & ad eam monasterium  
transtulit cum hospitalitate, ad recipiendos Chri-  
stianos. Singulari autem pietate recipiebat viros  
ecclesiasticos de Scotia. Quieuit verò in dicta  
sancti Martini ecclesia, in crypta ante altare san-  
cti Ioannis Baptistæ, sed inde eleuata est in fe-  
retum. Monasterium autem & hospitalitas,  
quorum historia meminit, per bella omnino in-  
terierunt. Insigne autem eius loci monumen-  
tum, est fons sanctæ Adiliæ, cuius aqua, vt à  
venerando & docto eius loci Pastore intellexi

omnes ædes magni Orprij alluit. Idem assererat se consensu episcopi visitasse sacras corporis reliquias, in die beati Nicolai, anno septuagesimo primo, presentibus venerabilibus viris, indeque odorem fragrantissimum & longè gratissimum se percepisse. Sed & miracula nonnulla se vidisse, ad inuocationem sanctæ Adiliæ, quæ sub idoneis testibus consignauit.

*De gærum  
migrationibus,  
lib. 8.*

*\* Louenij  
ad s. Gertrudis  
Bronij vel  
S. Gertrudis.*

Est autem in Alsatia, in apice montis, celeberrimum Hohenburgense monasterium sanctæ Odiliæ. Cuius virginis vulgata historia intantum coincidit cum manuscripta sanctæ Adiliæ, ut non duæ virgines, sed vna tantum videri debeant. Quod mihi ex varijs argumentis non probatur, quanquam facillè admittam duarum virginum eiusdem ferè nominis, historias confusas esse. Vnde Vuolfgangus Latinus beatæ Odiliæ historiam de duplici errore conuincit. Debemus hoc frequentibus vastationibus, & potissimum iusto Dei iudicio, quod quorundam vitæ historia prorsus interciderit: & quorundam probabiliter tantum exister. De quibus certam tum demum habebimus notitiam, quando cum eis facie ad faciem Dominum videbimus. Legitur hæc die in quarundam ecclesiarum Martyrologijs\*. Ipso die sanctæ Adiliæ virginis, sororis sancti Bauonis. Vnde Orprienfis sancta Adilia videri posset Hasbana, soror beati Bauonis. Cæterum Orprium est diocesis Namurcensis in Ducatu Brabantia, ibique in officio de Adilia nulla ingeritur Bauonis mentio.

## 2º. De beata Clothfende.

*Ex Martyrologio, alijsq; municipibus Marcensibus.*

*In vita s.  
Rictudis,  
cap. 8.*

**M**arcianis, sanctæ Clothfendis virginis, de qua scribit Hucbaldus, quod egregius pontifex Amanus eam sacris manibus è fonte saluari suscepit, atque in omnibus Deo dignam reddiderit: quodque post obitum matris suæ beatæ Rictudis, monasterij eius moderatrix fuerit. Disso autem in loco reliquiarum eius conseruantur, & natalis ex vetusto Martyrologio pronuntiatur, non tamen in diuino officio aliter recolitur.

2. Videtur esse eius memoria in *Vsu Leodiensi, die 25. Julij.*

### 3<sup>o</sup>. Memoria beati Arnulphi Cornibout.

*Ex narratione potissimum Hieronymi Moor, aliorumq; Patrum Villariensium.*

Villariæ, obitus beati Arnulphi *Cornibout*, conuersi, anno supra millesimum ducentesimo vigesimo octauo. Cuius vitam sanctam habent Villarienses à Gouino Bossutensi, Cantorè sui monasterij descriptam, cum lectionibus & notis. Putant enim eum aliquando oblatum fuisse Romano Pontifici canonizandum, sed generale Ordinis Capitulum impediuisse, nè multitudine sancti vilescerent. Nulla etiam eius memoria fit Bruxellæ, nisi quod in Martyrologio, quod vnus Canonicoꝝ collegit, legatur: *In Brabantia transitus fratris Arnulphi de Bruxella conuersi monasterij Willariensis, ubi miranda sanctitatis eius gesta habentur.*

Habuit autem Villaria, quæ apud Dilix seu Tilix scaturigines sita est, multos sanctos viros, quorum omnium ferè corpora decenter in tumbis aliquot simul requiescunt. Celebriores autem agnoscunt, dictum beatum Arnulphum siue Arnoldum, Carolum octauum abbatem, fratrem Comitum de *Seine*, & Conradum nonum, <sup>a</sup> filium Eginonis *Segnos nominat Iulius lib. 6.* Comitum de *Seine*, qui postea fuit abbas Claravallensis, deinde Cisterciensis, denique pet Honorium tertium Cardinalis Portuensis, & Apostolicus legatus in Alemania, vbi etiam Synodum celebravit anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto, contra quosdam morum corruptelas. <sup>b</sup> *To 3. Conciliorum in Sarj editio.*

Cæterum horum reliquiæ nunc admodum negligenter conseruantur, & in loco minus decenti quàm olim. Pulchrè scribit Cæsarius Cisterciensis, qui aliquandiu Villariæ Prior præfuit: Godefridus monachus Villariensis, antea nigri ordinis sancti Pantaleonis in Colonia, quantè fuerit religiosita-

gic sitatis, quantæ sanctitatis, quàm feruens in ordine, per sanctas eius reliquias Dominus vsque hodie non cessat ostendere. Nuper per reuelationem leuata sunt ossa eius, & in sacrario posita, reseruanturque pro reliquijs.

a. De hoc Conrado vide egregium miraculum in *Thoma Cantiprat. lib. 1. Apum c. 9.*

b. His adde Gobertum de quo infra 20. Augusti, & F. Walcerum de Traiecto monachum Villariensem de qua *Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 26.*

### Prima die I V L I I.

#### 1<sup>o</sup> De sancto Rumoldo, patrono Mechlin.

*Ex Martyrologio Mechliniensi.*

**M**Achlinia, passio sancti R Y M O L D I, gloriosissimi martyris atque pontificis, Scottorum regis filij, signis & doctrina mirabilis. Qui regalis celsitudinis solium & pontificalis dignitatis respuens honorem, Machliniam petijt sibi diuinitus reuelatam: quam octauo Calendas Iulij consecrauit martyrio. Sed quia eodem die sanctissimi Baptistæ & præcursoris Domini celebratur natiuitas, Romanus pontifex Alexander quartus passionem martyris in natiuitatis prædictæ octauis instituit sollemnizari. Sanctus itaque Rumoldus ex parte Scottiæ, quæ hodie Hybernia dicitur, desertis patria, parentibus, nobilitate & archiepiscopatu Dublinensi, Romam iuit; & inde, habita Pontificis benedictione, iuxta Angeli apparitionem, eò peruenit vbi Scaldis fluius in mare se exonerat, naturaque iuxta hunc curriculum labitur ac perfluit. Hec est, Mechliniam, ybi sic fidei rudimenta